

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Qvintae Partis Iohan. Eckii In Lvtherum Et Alios. Tomvs ...

Homiliarum de Sanctis. Homiliae V. de speranda uictoria ex Turca, ad
Reuerendissimum Cardinalem Tridentinum, additae

**Eck, Johannes
Luther, Martin**

[Augsburg], 1534

VD16 E 392

Homilia prima.

[urn:nbn:de:bsz:31-62128](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-62128)

De uisitatione

mihī magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Et misericordia eius a progenie in progenies, timen-
tibus eum. Fecit potentiam in bra-
chio suo, dispersit superbos mente
cordis sui. Deposuit potētes de sede
& exaltauit humiles. Esurientes im-
pleuit bonis, & diuites dimisit ina-
nes. Suscepit Israel puerum suū, me-
morari misericordiæ suæ. Sicut lo-
quutus est ad patres nostros, Abra-
ham & semini eius in sæcula. Man-
sit autem Maria cum illa quasi men-
sibus tribus, & reuersa est in domū
suam.

Homilia prima.

Isi dñe hodierna cōmemoret Ec-
clesia uisitationem Mariæ quādo
cognatam suam uisitauit, tamen
id hodie factum non est, sed nō longe post
angelicam salutationem, quum iam Maria
concepisset Christum. In illis enim diebus
exurgens Maria, et uisitauit cognatam suā
Elisabeth, de qua dixerat ei angelus q̄ iam
uetula concepisset. Quia aut eo tempore
occupata est Ecclesia in meditatione pas-
sionis Christi, ipsiq; filij Ecclesiæ tunc se-
parant ad confessionē & eucharistiæ sacra-
mentum: ideo festum illud translatum est
in hunc diem, sed nos ante euangelij textū
expediamus q̄ de diei huius festiuitate di-
cere incipiamus. Exurgens, inquit Lucas,
Maria in diebus illis abiit in montana cū
festinatione. Vbi audiuit Maria, ait Am-
brosius, surrexit nō quasi incredula de ora-
culo, nec quasi incerta de nūcio, nec quasi
dubitās de exemplo, sed quasi læta pro uo-
to, religioso pro officio, festina pro gaudio
in montana perrexit: quous Theoph. putat
eam prudentem adeo fuisse ut experiri cu-
peret quid de cognata ageretur, iuxta uer-
bum angeli: Quicquid hic pro se singuli
dicant, nobis hoc loco sunt duo credenda.
Alterum, quia uisitatio hæc tum instans

et spiritus sancti tum ordinatione facta
sit diuina, ut nouus ille miles Iesu futuris
q̄ ipsius præcursor & baptista Iohannes in
utero matris impleteretur spiritu sancto, iux-
ta illud quod angelus promiserat Zacha-
riæ. Alterū est, q̄ nihil minus q̄ dubia fue-
rit Maria de Elisabeth circa ea quæ dixerat
angelus. Nam et Elisabeth inde ait ad Ma-
riam: Beata es quæ credidisti. Ita Maria fe-
stinauit in montana: siquidem Hierusalē
in montibus sita est, ubi Zacharias habita-
bat. Quir autem festinavit Maria, quum
tamen eiusmodi acceleratio mulieribus a
recenti conceptu prohiberi soleat, ne dum
illæ nimium mouentur, tenellus adhuc fa-
tus quoq; loco suo dimoueat, sicut & a
6. mensibus expletis inhibetur eis impetu-
osa & uisenta commotio: uel saltando uel
laborando, ne fetus ille iam ingratiens
decidat concussus, unde & illi mors & ma-
tri periculum graue immineat. Responde-
tur: Quia in se Maria factum diuinum ha-
buit, & ideo quum uirtute sustentabatur
diuina, non erat q̄ metueret periculum, al-
iæ autem pregnantēs mulieres non ideo
audeant simile quid tentare, ne motu ui-
lento recens conceptum factum enecent,
deumq; sic grauiter offendant. Mariti q̄q;
parcant tunc uxoribus, neq; eas duris labo-
ribus molestant, sed etsi sponte subire ue-
lint non sinant. Quod ergo festinauit Ma-
ria, aiunt doctores factum id esse primum
ex ipsius disciplina, quoniā uerebatur diu
inter homines palam cōmorari. Sic em̄ ait
Ambro. Discite uirgines nō circumcur-
re per alienas aedes, non demorari in pla-
teis, non aliquos in publico miscere sermo-
nes, ut ait Sapiens: Currens non habebis
offendiculum. Turpe est tum uirgines
tum mulieres quoslibet in plateis compel-
lare homines, & aliquamdiu confabulari.
Vulgare est gallinam plurimum gracile
lantem statim deposituram ouum, aut iam
iam deposuisse. Deinde festinauit etiam
eo q̄ ad iter hoc impulsu agebatur spiritus
sancti, cuius gratia, ut inquit Ambrosius,
nescit tarda molimina.

Ad hæc urgebat Mariam charitas quo-
que

Luc. 1

Ambro.

Theoph.

Luc. 1

Physici

Ambro.

Prover. 4

Ecclesi. 36 que, ut statim cognatae suae inseruiret, iuxta illud Sapientis: Festina tempus &emento finis, quasi diceret: Si recordatus fueris finis, magis accelerabis. Simili enim de causa exhortatus est Hieremias Iudaeos, ut proficiscerentur Hierusalem, clamans: Venite, nolite stare, Recordamini procul domini, & Hierusalem ascendat super cor uestrum. I H E S V S, inquit Origenes, qui in Mariae utero erat festinabat, adhuc in ventre matris Iohannem positum sanctificare.

2. Festinauit Maria in montana in ciuitatem Iuda, hoc est, Hierusalem. Vbi dicit aliquis, eam ciuitatem fuisse Beniamin. Ita enim liber Iosue testatur: Haec est possessio filiorum Beniamin, ubi statim in enumeratione Heleph & Iebus ponitur Hierusalem. Quomodo ergo hic uocari potest ciuitas Iuda? Respondetur: Sane datam esse Hierosolymam in diuisione terrae filiis Beniamin. Verum illi non poterant expugnare gentiles, sicut scriptum est: Hiebus autem habitatores Hierusalem non deleuerunt filii Beniamin, habitauitque Hiebus cum filiis Beniamin in Hierusalem usque in praesentem diem. Augustinus tamen putat ciuitatem Hiebus inde dictam Hierusalem non tantum fuisse filiorum Beniamin, sed & tribus Iuda, eo quod Iudas primum eam superarit & concremarit, sicut in principio Historiae Iudicum legitur, ideoque & tribus illae duae sub uno permanserunt rege, quando decem aliae deficiebant. Quum autem Dauid deuisa ciuitate Hierusalem, Hiebusaeos occidisset, montemque Sion occupasset, sibi in eo extruens arcem, ciuitatem ipsam uocauit a nomine suo, totamque attribuit tribui Iuda, & in circuitum aedificauit eam.

1. Para. 11 Recte itaque dixit hic Euangelista Mariam festinaisse in ciuitatem Iuda, Hierusalem intelligens. Venit igitur illuc Maria & quidem comitante eam Ioseph, sicut ex multis & grauib. causis colligunt Doctores, licet mentionem Euangelista non faciat, pro ratione tamen adduci solet quod quia illa ante salutationem angelicam

fuit desponsata Ioseph, ipseque eam adsumpsit pro coniuge. Verisimile est factum id quoque esse ante hanc uisitationem. Nam si Maria tandem post illos tres menses & aliquot dies tandem uenisset ad Ioseph, factum non esset hoc citra magnam offensam & suspicionem Mariae, quod tam cito deinde a Ioseph adsumpta peperisset. Credendum itaque firmiter est Ioseph accepisse Mariam pro uxore, antequam uterus illi intumesceret, exposcente id ipsum utriusque honore & dignitate. Quod si ergo Ioseph secum duxit Mariam, iam partui proximam & quotidie parituram, quando uolebat tributum soluere in Bethlechem, sub rigida hyeme: ubi nec amicum aliquem neque diuersorium habebat. Quanto magis uirginem illam recens iam sibi desponsatam longum adeo iter non permisit forsam ingredi, sed ipse eam comitatus est, eo maxime quod tunc imminere Pascha, quo tempore alias oportebat omnes uiros ad festum ascendere in Hierusalem.

Equidem hoc plane persuasum habeo, ut credam, etiam si nulla super eo mihi sit scriptura: quando in contrarium nemo potest aliquid scripturae adferre testimonium, quod Ioseph Mariam acceperit uxorem, post illos tres menses iam reuersam ab Elisabeth. Malo igitur recipere quod rationi magis consentaneum, uirgini matri suoque filio I H E S V honestius est, quam impias & impudentes Neochristianorum nantias. Neque uero hic quum ait Euangelista, ingressam esse Mariam in domum Zachariae, suspicari aliquis debet eam non prius intrasse templum: quando iam cum ea domitus erat, & in eam superuenerat spiritus sanctus, ipsaque filium Dei in corpore suo portabat. Et hic omnium primum impletum est propheticum illud: Statim ueniet in templum sanctum suum dominator quem uos quaeritis, licet uisibiliter impletum sit hoc tandem in die purificationis Mariae.

3. Intrauit Maria in domum Zachariae & salutauit Elisabeth. Nemo hoc in Maria b iij

Luce. 1

Matt. 1

Ex argu. Orige.

Mal. 1

De visitatione

fastui aut superbiae tribuat: quibus. n. in nostris regionibus urbanitatis sit, ut minor a superiore salutationem expectet. Apud Iudaeos tamen humilitatis erat, ut minor salutaris maiorem, iuxta illum morem Maria hic quibus quoad gratiam Dei hominum omnium dignissima, non tamen dedignata est cognatam salutare. Hinc ait Ambrosius. Didicistis uirgines pudorem Mariae, discite humilitatem: Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniore, nec solum uenit, sed etiam prior salutauit: daret enim quanto castior uirgo, tanto humilior sit. Nouerat deferre senioribus honorem. Non narrat hic Euangelista quod etiam Zachariam salutaris Maria: quod quidem eo factum putant, quia ille mutus adhuc erat & surdus: neque decet hoc uirgines multo nutu frangere gestibus leuitate arguere. Ego hanc credo lubesse causam: quod Euangelista sibi sumpsit ac descripserit uisitationem Mariae ad Elisabeth: quo testari uoluit impleta esse uerba angeli de Ioanne, quod is in utero matris impletus sit spiritu sancto, & mater deinde per illum. Atque ideo quia ad illud nihil conducebat saluatio Zachariae, obmissa illa, solam hanc salutationem Elisabeth descripsit Euangelista. Quis. n. dubitet tribus illis totis mensibus plurima contigisse, quae non scripserit Lucas. Et factum est quum audiuit salutationem hanc Elisabeth, exultauit praegaudio infans in utero matris. Vide, inquit Ambrosius, distinctionem singulorumque uerborum proprietatem. Vocem prior audiuit Elisabeth, sed Iohannes prior gratiam sensit, ista gratiam loquuntur illi intus operantur. Merito igitur Iohannes plusque propheta est: alij enim praedixerunt futura, postquam nati sunt, ille autem quum esset adhuc in utero matris, gratiam tale adsequutus est. Ideoque credendum est uocem Mariae, uocem fuisse uerbi, quod in ipsius utero caro factum fuerat. Diximus super ea re non nihil in die S. Iohannis Baptista ubi require quomodo exultauit Iohannes.

4. Elisabeth impleta est spiritu sancto, ubi ait Ambrosius: Duplici miraculo prophetant matres, spiritu paruulorum, non

prius mater repleta quam filius: sed quum filius repletus esset spiritu sancto repleuit & matrem. Est etiam hoc adnotandum discrimen, quod Lucas & Elisabeth ait, impletam spiritu sancto, de Maria non idem, sed quia exultarit spiritus eius in deo saluari suo. Cuius ratio haec est: quia Elisabeth postquam concepit filium tandem impleta est spiritu sancto: quibus haec quoque immensum dictum quam laetabunda fuerit impletio, ut letitia spiritus diffusa sit per ipsum, cor & animam ac corpus Elisabeth, quam ait Lucas uoce magna inclamasse matri dei: Benedictio nem, gloriam & beatitudinem.

Benedictionem quidem quum ait: Benedicta tu in mulieribus: quibus ipsa ibi non adfuerat, nec quisque ei dixerat, sed spiritus tamen sanctus ei reuelauerat, sicut & angelus eam salutarat. Qua de re multa a nobis sunt dicta in die Adnunciationis Mariae, ideoque hic breuiores erimus. Et benedictio fructus uentris tui. Non fat erat Elisabeth testari benedictionem matris, quoniam multis matribus pijs infaelices contigerunt filij, ut Rebeccae, Esau, sed insuper & fructus Mariae fuit benedictus. Estque hoc adeo de Mariae proprie uerum: quum enim reliqui filij suorum sint parentum fructus, Christus Mariae tantum fructus est, eo quod in terris patrem non habuit. Quis, ait Ambrosius, est iste fructus, nisi ille de quo dictum est: Ecce haereditas domini filij merces fructus uentris, hoc est, haereditas domini filij sunt, qui merces sunt fructus illius, qui de Mariae uentre processit. Filij sunt ipsi homines qui Christo dati sunt in redemptionem passionis suae & mortis: Fructus hic uentris flos ille est radicis, de qua Esaias ait: Egredietur uirga de radice Iesse, & flos de germine eius ascendet. Radix haec ipsa gens est Iudaeorum: Virga autem Maria est, flos benedictus est uentris eius fructus Iesus Christus. Et hoc exigua uerborum Elisabeth particula tantum mouit Ecclesiam, ut illam fecerit appendicem salutationis angelicae: Ita ut quoties illa in Ecclesia oratur, semper addi soleat istud: Benedictus fructus uentris tui Iesus Christus. Ratio

Ratio hic in ipso habetur Evangelio, quoniam primum ait Lucas, Elisabeth impletam esse spiritu sancto. Et hinc sequitur quod dixit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Primum ipse etiam angelus posuit in sua salutatione: quia in postrema parte ex spiritus sancti instinctu mutauit Elisabeth adnectens uerbum illud, argumentum magnum est spiritum sanctum noluisse hoc supplere. Quæras: Quir non ipse hoc adiecerit angelus, ut sic pura ea esset salutatio angelica? Responde tur: Quia quum ingressus ad Mariam angelus saluaret illam, Christus conceptus nondum erat, ideoque & dicere non poterat: Benedictus fructus uentris tui: quia adhuc nullum habebat, sed deinceps tandem facta est conceptio & incarnatio Christi, quando Maria dixit ad angelum: Ecce ancilla domini fiat mihi secundum uerbum tuum. Ita spiritus sanctus particulam hanc referuauit ipsi Elisabeth, quæ illius instinctu clamauit: Benedictus fructus uentris tui, Christus ipse deus & homo uerus, creator redemptor & saluator noster, qui est in sæcula benedictus, Amen.

Homilia secunda eiusdem diei.

Visitauit ecce Maria cognatam suam Elisabeth: ex qua salutatione mater simul & filius in utero matris impleti sunt spiritu sancto: Mater uero exclamauit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus uentris tui. Vnde mihi hoc quod mater domini mei uenit ad me? & uerbo rationem reddit benedictionis Mariæ simul & fructus uentris eius, hanc nimirum: quia mater erat domini, & filij dei quasi dicere uellet: Miraculum sentio, cognosco mysterium, mater domini uerbo facta, deo plena est, plena gratia dei. Vt ergo sim multis modis indigna, quæ illam accipiam tam longo itinere ad me uenientem. Sicut ergo, inquit Theoph. postea Iohannes Christum, quum uenisset ut baptizaretur, phibuit propter reuerentiam dicens: Ego non sum dignus, sic & nunc per matrem

suam loquitur, humilians se. Quanto plus iam olim Elisabeth tribuit Mariæ quæ nunc faciunt Neochristiani, indignam se rata est illa presentia Mariæ: horum mulierculæ temerariæ audent se æquare Mariæ, quæ & mulierem fuisse garrunt similem alijs. Proh uecordiam & uesaniam diabolicam. Porro reddit Elisabeth rationem suæ scientiæ, dicens: Ecce ut facta est uox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in utero meo: Factum hoc utique in ea sic erat, ut facile posset intelligere naturale id non esse, ut sic gestiret in utero fetus tam repente motu: neque enim comuni nature modo mouebatur in utero eius Iohannes. sed uelut exurgebat subito exiliens. Et mirum hic sit Iohannem cum gaudio exultasse ad hanc uocem a qua exterritus olim fuerat Adā in paradiso, quum dixit ad eum dominus: Adam ubi es? Beda hic ait: Erubescere Elisabeth onus parentis quod diu nesciebat mysterium religionis, sed quæ occultabat se, quia concepit filium, iactare se cepit, quia generabat prophetam: tunc sane usque adeo non erubuit aut tacuit, ut etiam iactaret exultationem in fantuli sui, quando iam cognouit se factum hunc habere a deo: siquidem iam tum exultans filius suus adhuc in utero gestiebat demonstrare agnum, qui tollit peccata mundi. Hinc concludit illa prophetiam suam dicens: Beata es quæ credidisti, quia perficies in te quæ dicta sunt tibi a domino. Sane tunc credidit illa quando dixit: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. In hoc emendauit errorem Zachariæ sacerdotis, qui noluit credere angelo. Pariterque notandum, quanta Elisabeth animam gratia Maria intrante ditauit, quæ simul de præterito presenti atque futuro per prophetiæ spiritum inlustrauit. In te, inquit, perficientur omnia quæ dicta sunt tibi ab angelo: neque enim. iota uel apex peribit de lege, donec omnia fiant. Danda igitur est omnis gloria & magnificentia Deo, qui perfecta facit opera omnia creationis, redemptionis & saluationis suæ. 2. Quum iam audisset Maria quomodo spiritus sanctus cognatam suam Elisabeth illuminaret, ita ut iam haberet scientiam mysteriorum dei: tunc aperuit se plenitudo gratiæ diuinæ in Maria cum magna gratiarum actione erga Deum, ne

Mat. 3

Gene. 3

Beda.

Beda.

Ambro.

Theoph.